



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 2. Alectensis Episcopi epistola ad Cleri Gallicani comitia, necnon ad
Archiepiscopum Parisiensem data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII.

A. C. 1675.

§. II.

~~WINDENSTEIN~~

*Aleſtenſis Episcopi epistola ad Cleri
Gallicani comitia, necnon ad Ar-
chiepiscopum Parisiensem
data.*

Obſtitit Aleſtenſi Episcopo Joſephus de Monpezat Archiepiſcopus Tolofanus ejusdem Metropolitæ, qui Regaliæ jus etiam in Pyrenæis Provinciis agnoverat: quapropter ad eum ſuas deferre querelas, haud conſultum cenſebat Aleſtenſis: cum autem quidam Clericus Tolofanus utpote Regaliſta, Eccleſiæ Cathedralis dignitatem occuparet, ejusque poſſeſſionem, abſente Episcopo, invaſiſſet, alius vero Carcaſſonenſis Clericus Regaliæ titulo in Collegiatæ Eccleſiæ Canonicatum, nominationem approbante Mirapicenſis Episcopi Vicario, involaſſet, hinc Episcopus Aleſtenſis primo Parisios ad Cleri Gallicani Conventum deſuper die octava Julii epistolam querelis reſertam dedit, hujus tenoris.

*Gallia vind.
pag. 210.*

„Quia certum & perſuaſum omnino habeo, nihil vobis antiquius, ac æque cordi eſſe, quam ut jura & diſciplinam Eccleſiaſtica illibate conſervetis; ideo imperare mihi non poſſum, quin in ſinum veſtrum querelas
„meas

„meas effundam, doceamque, quæ Sæc. XVII.
„hisce diebus immunitati ac disciplinæ A. C. 1675.
„Ecclesiasticæ æque funesta contigere.
„Primum est Tholosanum quemdam
„clericum ausum esse, me absente, &
„Ecclesias Diæcesis meæ visitationis
„caussæ obeunte, obrentu Regaliæ in
„unam hujus Cathedralis Ecclesiæ di-
„gnitatem irrumpere, ejusque posses-
„sionem captare. Equidem dissimulare
„hanc invasionem non potui, nisi offi-
„cio ac partibus meis deesse vellem,
„& ideo edita in prætensum hunc Re-
„galistam inhibitione (cujus hic copias
„adjungo) & illi, ne se in illius bene-
„ficii functiones ac munia ingerat, &
„capitulo Ecclesiæ meæ cathedrali, ne
„illum recipiat, serio ac enixe præcepi.
„Nec opus est, credo, ut vobis Illustris-
„simi & Reverendissimi Domini, hujus
„inhibitionis meæ causas & momenta
„enumerem; sunt enim illa ipsa, quæ
„lapsis retro annis Cleri Gallicani con-
„ventus impulerunt, ut ad conservan-
„das in hac re non solum Provinciæ
„Narbonensis, sed aliarum etiam pro-
„vinciarum, ac particularium Eccle-
„siarum immunitates tanto zelo, tan-
„taque contentione incumberent. Et
„ego impetrare a me non potui, ut non
„imitarer, ejusdem Cleri exemplar eo-
„demque spiritu animarer, cujus tot

Sæc. XVII. „motus ac insignia monumenta legun-
 A. C. 1675. „tur in ultima compilatione jussu Cleri
 „impressa. Optassem ego quidem, ne
 „cogerer, hanc glaciem primus rum-
 „pere, quamvis enim maximi momenti
 „sit Regaliæ causa, nec ad meam tan-
 „tum diæcesin, sed ad plures integras-
 „que Provincias, ac etiam Eccle-
 „sias particulares pertineat; nondum
 „tamen mecum plane statueram, quam
 „in hac causa oporteret me faciem in-
 „duere: idque solum agebam, ut in-
 „ter tacitas preces lachrymasque Deo
 „rem totam commendarem, utpote
 „qui omnium Principum corda in sua
 „potestate ac arbitrio habet, quique
 „Conciliis Episcoporum præsidet, ut is
 „videlicet & Regi sensa inspiraret illius
 „justitia & pietate digna, & conven-
 „tui vestro media & rationes ostende-
 „ret, jura ac libertates Ecclesiæ forti-
 „ter asserendi. Sed ecce! ab hac ani-
 „mi ambiguitate inopinatus me even-
 „tus liberavit; novus enim ille Rega-
 „lista ausus est, unam ex Ecclesiæ meæ
 „Cathedralis dignitatibus occupare,
 „ejusque possessionem perinde, ac si Se-
 „des Episcopalis vacaret, invadere;
 „neque hoc solum, verum etiam asse-
 „rere, hanc provinciam non obstante
 „antiqua libertate & possessione memo-
 „riam hominum excedente, aliisque
 „tot

„tot autenticis titulis, Regaliæ obno- Sæc. XVII.
 „xiam esse, imo Regaliam in mea diæ- A. C. 1675.
 „cessi jam esse apertam, quam tamen
 „triginta sex annos pacifice gubernave-
 „ram, ac beneficia omnia potestati meæ
 „obnoxia nullo repugnante contule-
 „ram.,

„En Illustrissimi & Reverendissimi
 „Domini primum querelarum mearum
 „Caput, quod necessario insinuandum
 „illis credidi, eosque supplicare, ut
 „suam mihi Authoritatem ac protectio-
 „nem dignarentur impertiri.,

„Alterum est, quod D. Baro & Vi-
 „carius generalis Domini Episcopi Mi-
 „rapicensis non dubitaverit provisionem
 „Regaliæ cujusdam ad Canonicatum
 „Ecclesiæ collegiatæ diæcesis meæ ra-
 „tam habere, qui tamen haud ignora-
 „bat, nec me, nec Vicarium generalem
 „Domini Cardinalis Bonzii Archiepi-
 „scopi Narbonensis subscribere voluisse.
 „Simile exemplum in monumentis con-
 „ventus Anni 1660. reperire est Vicarii
 „generalis Mirapicensis, ob similem om-
 „nino errorem notati. Et quia in quam-
 „plurimis Cleri Gallicani conventibus
 „contra hujusmodi conatus remedia
 „quæsitæ sunt, ac decreta sancita; cre-
 „didi incumbere mihi necessitatem,
 „casum, qui nuper in hac materia con-
 „tingerat, quique ex circumstantiis, quæ
 „illum

Sæc. XVII. „illum comitatæ sunt, multo [gravior
A C. 1675. „evalit, vobis insinuandi; spero enim
 „nec curam nec remedia vobis defu-
 „tura, quibus hujusmodi excessibus im-
 „posterum caveatur. Supererant alia
 „quædam vobis communicanda, sed
 „ea domino Episcopo de Beziers, alias
 „hujus nostræ provinciæ deputato con-
 „fidenter aperui, rogavique, ut in Co-
 „mitiis exponeret. Nolo vos amplius
 „morari, finioque has meas inter pre-
 „ces ac vota.„

Attamen Clerus hoc anno in suis comitiis congregatus nec de hujus Episcopi causa, nec de Regalium jure ullam deliberationem habuit, hinc vero nonnulli intulere, Clerum suo silentio rebus judicatis stare, regioque edicto velle morem gerere.

Postea ad Franciscum Harlayum Parisiensem Archiepiscopum & comitiorum Præsidem eadem die literas dedit, referens, quod Montpeffulano & Bli-terensi Episcopis negotium dederit, ut Archiepiscopum de tota rei serie instruerent. Enimvero hic Archiepiscopus, cum plures comitiorum Episcopos sibi Alestensis querelas æquas videri cerneret, se rem ad Regem relaturum recepit, ultro pollicitus, se effecturum, ne res Senatus deliberationi relinqueretur, minus vero decideretur.

§. III.